

vente, ita fervebat opus divinum ut triennio vix
emenso post mortem laudati viri principis ne unus
quidem obduratus in totâ gente remaneret.

Quod ad præsens tempus spectat, RR. P., omnia
ut spero in tuto sunt posita. Barbara gens corde non
ficto fidem videtur profiteri. Multitudinem christia-
norum vix continet sacra domus, licet septuaginta
cubitorum longitudine. Ter in die convenient
oraturi et audituri, quater verò diebus festis in quibus
præcipuè vix cibi capiendi superest temporis morula,
quod præstat flagrans ardor ad sacrum tribunal
accedendi. Quotidianus labor insumitur in visitandis
ægrotis, controversiis componendis, delinquentibus
corrigendis, concionibus habendis, pueris instituendis
et rebus sacris administrandis. Mei misertus prope
sexagenarii, R. P. S^t Pé præpositus missionis, socium
providit qui in istâ Dⁿⁱ vineâ elaborandâ totus incum-
bat. Nunc senex nulliusque penè valetudinis,
maximè doleo quod me imparem experiar in ediscen-
dis linguis barbarorum commorantium in circuitu,
nondùm sacro fonte expiatorum.

ARMANDUS DE LA RICHARDIE S.J. m.

[Endorsed: "Lettre du P. Armand de la Richardie. Mission de l'Assomption des Hurons. 21 juin 1741. au T. R. P. Gen."]

[Endorsed: "Après 2 ans chez les Hurons (à Quebec?) le P. Duparc l'envoie chez les Hurons dont il connaissait le triste état sous le rapport religieux. Travaux inutiles pendant plusieurs années."]